Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tibi sed timetis hostibus tuis. Delebis
omnes populos quos dominus
deus tuus daturus est tibi. Non par-
cet eis oculus tuus nec servies dis
eorum ne sint in ruinam tibi. Si
dixeris in corde tuo plures sunt gentes
iste quam ego quomodo potero delere
eas. Noli metuere sed recordare quid
fecit dominus deus tuus pharaoni et
cunctis egyptiis plagas magnas
quas viderunt oculi tui et signa atque
prodigia manumque robustam et ex-
tentum brachium ut educeret te do-
minus deus tuus. sic faciet cunctis po-
pulis quos metuis. Insuper et stabo-
nes mittet dominus deus tuus in
eos donec deleat omnes atque disper-
dat qui te fugerint et latere no po-
terint. Non timebis eos. quia dns
deus tuus in medio tui est. Deus
magnus et terribilis ipse consumet na-
tiones has in conspectu tuo paulatim
atque per partes. non potes delere eas
pariter ne forte multiplicentur con-
tra te bestiae terre dabitque eos dominus
deus tuus in conspectu tuo et inter-
ficiet eos donec deleantur penitus
Tradetque reges eorum in manus
tuas et disperdes nomina eorum sub celo
Nullus potest resistere tibi donec con-
teres eos. Sculptilia eorum igne com-
bures. Non concupisces aurum et
argentum de quibus facta sunt ne
que assumes ex eis tibi quidquam ne of-
fendas propter quia abhominatio
est domini dei tui. Nec inferes quip-
piam ex idolo in domum tuam. ne
fias anathema sicut et illud
est. Quasi spurciciam detestabe-
ris. et velut inquinamentum ac
sordes abhominaberis eas quia
anathema est.

VIII

Omne mandatum quod ego
precipio tibi hodie cave
tibi diligenter ut facias
ut possis vivere et multiplicem
ingressique possideatis terram pro qua
iurauit dominus patribus vestris
et recordabis cuncti itineris quod
ad duxit te dominus deus tuus. quadra-
ginta annis per desertum ut afflige-
re atque temptaret. et nota fierent quid
in tuo animo versabatur utrum ma-
ndata illius an non
custodires. Afflixit te penuria. et dedit tibi ma-
na cibum quem ignorabas tu et pa-
tres tui. ut ostenderet tibi quod non
in solo pane vivit homo. sed in omni
verbo dei. quod egreditur ore dei
Vestimentum tuum quo operiebaris ne
quaquam vetustate deficiat. et pes tuus
non est lesus. ecce quadragesi-
mus annus est ut recognoscas in
corde tuo quia sicut erudit homo fi-
lium suum sic dominus deus tuus
erudiuit te ut custodias manda-
data domini dei tui. et ambules in
viis eius et timeas eum. Domi-
nus deus tuus introducet te inter-
ram bonam. terram riuorum aquarum
et fontium in cuius campis et
montibus erumpunt fluuiorum ab-
yssi. terram frumenti. ordei ac
vinearum in qua ficus et mala gra-
nata et oliueta nascuntur. terram
olei ac mellis. ubi absque penuria
comedes panem tuum. et rerum
habundabis. omnium fluentis
eius lapides ferrum sunt et de
montibus eius eris metalla fodi